Lepiecki floriani: Pietas literata.

PIETAS LITERATA,

DUM

Excellentiss: & Adm: Rndus Dnus

M. IOANNES CYNERSKI RACHTAMOVIUS,

Collega Maior, S. Floriani Canonicus, S. Theol: Baccalaureus,

Post

Exantlatos in Tyliciana & Philosophica Palæstra labores, publicam Professionem S. Theologię in Alma Academia Cracouień: auspicaretur.

A

M. FLORIANO LEPIECKI, COLLEGA Minore, Contub: Hierosolymitani Seniore, officioso Carmine declaratur.

CRACOVIÆ,

Typis Valeriani Piatkowski, Anno D. 1647.

Die Febr.

S. Isidorus Junior Episcopus Hispalen. lib: 3. de summo bono. c. XIII.

Quid prodest in mundanis doctrinis proficere, & inanescere in diuinis? Caduca sequi figmenta, & cælestia fastidire mysteria? Cauendi sunt igitur tales libri, & propter amorem Sanctarum Scripturarum vitandi, qui exteriùs verborum eloquentiâ nitent, interiùs vacui virtutis sapientiâ manent. Eloquia autem sacra, exteriùs incompta verbis apparent: intrinsecus autem mysteriorum sapientiâ fulgent. Vnde & Apostolus, Habemus, inquit, thesaurum istum in vasis fictilibus.

PIETAS LITERATA.
Ode Tric: Tetraſtroph.

QVò concitatis, non ſine Numine,
Curris quadrigis, magne Academici
Ocelle Parnaſſi, & Lechæi
Pulcher honos columenq́; Phœbi,
Vatum CYNERSKI maxime? maxime,
Venuſta quorum copia pectore
Fandi redundat Tullianis
Emerito per amœna Roſtris?
Vides, vt alti gloria Pieri, &
Apollinaris fulgor adoreæ,
Palmæ, triumphaliſq; laurus,
Actiaci diadema ſceptri,
Marceſcit vltro. Iam pretij minor,
Minorq; feſſi Calliope chori,
Eburq; ſtamenq;, & remiſta
Cum citharis fidibuſq; ſiſtra,

Mœstùm silenti murmure personant,
Negantq; tendi, post, vbi candidæ
Linguæq;,pennæq, & Virorum
Magnanimæ cecidêre mentes.
TILICIANA nuper in exedra
Splendore linguæ vidimus inclytos
Stantes Professores, dolendo
Præcipites obijsse leto.
Quos delicatæ nauita gloriæ
Insitatâ classe Scientia
Transuexit, & celso reclines
Ire dedit super astra curru
Regina Virtus. Quis placidos sales
PETRICIANI nesciat ingenî?
Vel quis PIOTROVICI lepores,
Sacra tui PVTEANE cultus?
Vel Te, Tuum vel nectar, Apollinis
O sidus! ô lux! ô Academiæ
SMIESZKOVI amor! nuper quem iniquo,
Hêu rapuit Libitina fato!
Quis nescit vltra quos vel ab inclyto
Nec indecoro puluere sordidos,

Post

Post Rostra, post ludos locauit
Non humili sua vita sede?
Hîc illa magni Numina Tullij
Emancipatis grata laboribus
Stupemus, & lætamur altos
Eloquij reserâsse fontes.
Sêu BROSCIANÆ docta opulentiæ
Orâcla, Magni siue VITELLII,
Sêu digna lucubrationis
Pignora, Nestoreo sue fetus,
IVRKOVIANIS edita sensibus
Audimus. Ehêu! si melioribus
Mens sacra Circis, nec bibisse
Aure sonos, animiq; totum
Haurire fontem, nec sinit aurea
Arcana magni poscere Tullij. Et
Iam plena RACHTAMOVIANIS
Spes fuit, ipsa salusq; Rostris.
Elusa tandem! dum super ilice,
Attrita multo pectine barbita,
Chelymq;, pendentemq; buxum
Ancipiti fluitare ramo,

 Inane

Inane Cauri pondus & Africi,
Sinis CYNERSKI! Te cupidus procul
Plorauit Æmus, Te frementes
Aoniæ doluêre valles,
Te mœstus Othris, Te iuga Phocidos,
Te ſaxa Chryſæ, Te Pataræ ſpecus,
Doctâq; plorauêre lauru
Virginei capita alta Cynthi; &
Dilecta claro Delos Apollini, &
Acuta Cyrrhæ, Caſtalijs quoq;
Amata Pyrene puellis,
Et Pario ſpecioſa ſaxo
Planxit Caryſtos, planxit Olympicis
Armata circum Teſpia rupibus,
Syluæq;, decliueſq; campi
Flebilibus gemuêre pratis.
Nec ſtagna Dirces, nec propè garruli
Clitumnus oris, nec roſeus Meles,
Nec blanda Scamandri fluenta,
Nec reſoni latices Lycormæ,
Collacrymantes non malè ludicro
Solantur amni; dum ſibi conſciam

Que-

Queruntur extemplò laborum
Solliciti periisse mentem:
Risêre quondam cùi speciosiùs
Se cûiq; plenis Gratia fontibus
Infudit, & facunda pulchro
Melpomene dedit ire calle.
Quæ tunc CYNERSKI leniter aureâ
Suadâ fluenti, quæ Tibi Ciuium
Tranquilla tempestas sereno
Applicuit sua signa nimbo?
Qui Te tonantem fulmina Tullium
Heröes alto pectore duxerant,
Aut dum Quirinales volebas
Non, Tacitus, tacuisse fastos?
Dixisse ferris: Discite, dum licet,
Dum tota vobis otia, discite
Momenta rerum grandiora
Solliciti, mea cura, nati.
Vestris in ausis plurima collocat
Polona tellus, plurima collocant,
Qui vos creauerunt, Parentes,
Et studij pretiosa merces,

Famosa

Famosa Virtus. Tunc ego concitam
Ad vsq; pulchrum feruere prælium, &
Primæ rudimentum Thaliæ
Innocuo subijsse Marte
Vidi iuuentam: vidi ego diuites
Per litteratæ Regna Poloniæ
Manâsse fontes, Lechicumq́;
Vberibus fluitasse riuis
Latè per orbem. Scit melius suis
Diffusus ingens Vandalus alueis,
Scit quà recliuis per Litauos
Vilia deproperat Triones.
Sêu fata Regum tristè cadentibus
Deflere lymphis, siue potentium
Cladem Tyrannorum, CYNERSKI, &
Barbarici mala iusta belli
Tonare gestis, vt Prosorouij
Crudiq; Damæ & Sechinij male-
fidam LADISLAVS phalangem, &
Magnanimo pede colla Victor
Calcauit vltro: Siue benigniùs
Ornare blando non sine barbito

Tædas

Tædas poposcisti & decenti
CÆCILIÆ diadema scripto.
Testis Tuarum naufraga ZADZICI
Carina laudum, testis amœniùs
Verno reflorescens decore,
Præsuleis sociata mitris
GEMBICIANÆ fascia tæniæ:
Vel quæ bonarum pignora noctium
Crebro recudisti metallo,
Non humili placitura vulgo.
Istosne fructus temnis, & arduæ
Trophæa laudis deseris immemor?
Ac Rhetoras linquens, Sophosq;,
Præpetibus veheris quadrigis?
At ô virorum quisquis amicior
Suadæ, citato scinde viam pede, &
E valle Permessi reductum
Pegason, alipedemq; faustis
Ascende votis: curre per auia,
Perrumpe syluas, rumpe cacumina,
Heu! redde CYNERSCI Polonis
Ora diu dominata Rostris.

Frustra! nam in ipso Theologo citus:
Orator almi Numinis integer
Sedit Senatu, & Iagelonæ
Assilijt nouus hospes Aulæ.
Vt nulla tandem dulcia tristibus
Non mista rebus. Iam video procul
Per Craciam latè Quirino
Theologæ micuisse Stoæ
Theatra cultu: iam speciosiùs
Mysteriorum plena liquoribus
Diuina Sacrorum fluenta,
Lechiacæ vada pulchra Cyrrhæ,
Stagira Vendæ trudit, vt inuia
Sêu per Iesææ, siue per Atticæ
Eant Camœnæ, sêu Latino
Dulcè fluant studiosa Tibri.
Iö triumphe; iam melioribus
Arcana PAVLI dogmata personant
Linguæ cothurnis, iam decoro
CHRYSOLOGI spatiatur oris,
Palæstra circo, iamq; THOMISTICI
Gaudet diserto feruere iurgio

Doct-

Doctrina candoris, pioq;
Eloquij ruit ore fulgur,
Quo Luteranæ monstra licentiæ, &
Caluiniani germina somnij,
Bezasq; turpes, & pudendis
Sacra diu famulata Lernis
Perrumpat Arî, fortis & impiâ
Ceruice telum mergat aheneum
Impunè, vitandumq; tristi
Fulmine prostituat bidental.
At vos secundis cingite frondibus
Crinem Camœnæ, cingite tempora,
Tubamq;, buxumq;, & recenti
Barbiton ingeminate cantu.
Iō triumphe: Ter litui procul,
Sacroq; Craci è vertice tympana
Fręgêre nubes, ter canora
Cum citharis sonuêre plectra.
Iō triumphe: Ter resonabilem
Respondit Echon Carpatus. Hactenus
Florete Musæ, Christianæ
Vęster honos adolęuit arti.



Sub felicibus auspicijs

Magnifici & Adm: Reuerendi Domini,

M. IACOBI VITELLII

S. Th. D. & Professoris, Decani Eccl: Coll:
S. FLORIANI, Prouisoris Nouoduorsci-
ani, Almæ Vniuersitatis Cracouien-
sis Generalis Vigilantissimiq;

RECTORIS.